



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B.mem. Richardis Sev Richarda, Vdalrici Dynastæ Eberspergensis Conivnx.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B.^{mcm.} RICHARDIS

SEV. RICHARDA, VDALRICI DYNASTÆ

EBERSPERGENSIS CONIVNX.



Richardis, quam & Richardam appellant, Marquardi Carantanorum principis, qui marchio prius fuerat Carinthiæ & Stirici filia, Marquardi, qui Vdalrici filiam Hademundam duxit conjugem, soror, Adalberti neptis, nupsit Vdalrico Eberspergenfi dynastæ, de quo mox infra copiosius. Fæmina si quæ fuit, religiosissima & numinis omniûmque Diuorum studiosissima cultrix, omnem vitam in pauperum subsidij, votis, & precibus, ædium sacrarum ornatu, cœnobiorum auctu, religioforum veneratione consumpsit. Cum ita ad sexagesimum annum virtus eius adoleuisset, jam matura cælo ex Inhouensi castro, vbi cum marito degebat, cælesti impulsu Eberspergam proficiscitur, obnixè virum precata, vti se socium itineris præberet, habere quæ illi apperiret. Quærenti quæ illa essent, rectius ibi cogniturum respondit. Paucis post aduentum diebus, dum in æstiuo solario sola & vnica meditabunda resideret, ecce tibi repente ante oculos virgo cultu nitidissimo refulgens & forma humanâ augustiore adstat, quæ Richardam affata, Quid est, inquit, dilecta? quas hic anxia, & præter morem tuum ab omni familiæ tuæ societate seiuncta curas sub pectore versas & coquis? ego te solatum adueni, breui mecum meliore loco futuram. Proinde mox ad superos itura ad iter te accinge, vti sacris omnibus expiata operum laborumque tuorum & cultus in me natumque meum & DD. Sebastianum & Benedictum, miseris que mortales, pupillos, viduas, afflictos ægrisque præmia cum æterna felicitate recipias. Tum oculis subducta cœlestis virgo, quam Dei matrem credidit Richardis, euauit. Quo spectaculo pasta inusitato gaudio permulceri coepit, visumque familiaribus ancillis duabus & presbytero conscientia moderatori retulit, ostenditque, non procul se ab vltima vitæ meta abesse. Nec sanè diu morata, intra paucos dies morbo, tentata decubuit, oblitæque sui, memor inopum cum Vdalrico viro egit, vt à morte sua miseris annua sportula in omnem posteritatem diuideretur. Ergo sex modij farris in vsum panum quotannis cedunt, qui ad rhombi ferè modum fiunt, cæditur & porcus

O 2

& ouorum

CIC. XIII.

IX, Cal. Maias.

Ex membr. M. SS.

Eberspergens

Arenbecky Chron.

Fundat. mon. p. 47.

Idem Chron. p. 99.

lib. 3.

Hund. metr. p. 207.

Stemm. 140.

Hieron. Megiser. t.

1. p. 736. c. p. 650.

Volf. Lat. lib. 7.

de migr. gent. p. 325.

Spigwecken.

& ouorum magnus numerus elixatur; hodiéque post tot secula ad eam sportulam accipiendam plus minus mille quingenti ex vltima forte hominum ad D. Georgij concurrunt, singulisque cereale crustulum, cum ouo aut larido seu suilla tribuitur. Hæc stipis benignitas miseris ex agro Eberspergeni assignata est. Hæ testamenti tabulæ fuerunt in elix matronæ, quibus heredes Christi scripsit Richardis: quæ deinde ante d. 1x. Calend. Maias post Christū nat. cix. xlii. ad beatorum societate euocata eternam posteris suæ pietatis & religionis memoriam reliquit. Corpus in D. Sebastiani mediam ædem illatum, publico post mausoleo cum viro cultum est, quod hodiéque non ignobile spectatur.



B. AVRE.